
INSTRUMENTUM PACIS

inter
Serenissimum & Potentissimum
Principem ac Dominum,
DOMINUM
GUILIELMUM III.
Regem Magnæ Britanniæ
ab una
&
Serenissimum ac Potentissimum
Principem ac Dominum,
DOMINUM
LUDOVICUM XIV.
Regem Galliæ & Navarræ
ab altera parte
Conclusæ in Palatio Riisvvicensi
in Hollandia 30. Octobris 1697.

Secundum exemplar Hagiense.


Ex
Biblioth. Regia
Berolinensi.



TRACTATVS
PACIS

Vigesimo die Septembris anni millesimi sexcentesimi nonagesimi septimi, inter Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum Gulielmum tertium, Regem Magnæ Britanniæ ab una: & Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum Ludovicum decimum quartum Regem Galliæ & Navarræ, ab altera parte conclusæ.



GUILIELMUS Tertius Dei Gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor &c. Omnibus & singulis ad quos Præsentes Literæ pervenerint SALUTEM. Quandoquidem Divinâ favente Providentiâ & interveniente primum operâ Mediatoriâ Serenissimi ac Potentissimi nuper Principis Caroli undecimi Regis Sueciæ &c. deinde Filii ac successoris ejus Caroli duodecimi Regis Sueciæ &c.

& per Colloquia in Ædibus Nostris Rysvvicensibus, de sopiendo Bello, quo Magna Pars Orbis Christiani nuper affligebatur, habita inter Nostros & Fœderatorum Nostrorum Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios ab unâ, & Serenissimi ac Potentissimi Principis Ludovici Decimi quarti Regis Christianissimi &c. Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios ex altera parte, de Pace inter Nos ac dictum Regem Christianissimum, his quæ sequuntur Conditionibus conventum fuerit.

(*Fiat Insertio.*)

NOtum sit Omnibus & singulis, quorum interest, aut quomodocunque interesse poterit, quod postquam Bellum infeliciter accensum, inter Serenissimum & Potentissimum Principem Dominum Gulielmum III Dei Gratiâ Magnæ Britanniæ &c. Regem & Serenissimum ac Potentissimum Principem & Dominum Ludovicum XIV Dei Gratiâ Regem Christianissimum &c eo perductæ res sunt permissione bonitatis Divinæ, ut ex utraque Parte restituendæ Pacis demum spes affulserit, & cum dicta Sacra Majestas Magnæ Britanniæ, & Sacra Majestas Christianissima pari desiderio exoptârint effusionem Christiani sanguinis quam primum sistere, communi animo consenserunt, ut præcipue quam gratissimè agnoscantur indefessa studia Potentissimi, & Gloriosissimæ Memoriæ, Principis Caroli XI Regis Sueciæ &c. Sed cum spes Consiliorum & bonorum

rum ejus Officiorum quam universa Europa merito conceperat, inopinatâ morte præsepta fuerit, Sacra Regia Majestas Magnæ Britanniæ, & Sacra Regia Majestas Christianissima crediderunt sese optimè facturas, si Mediatorium opus continuandum deferrent Filio, & successori ejus Carolo XII Regi Sueciæ &c qui pari studio operam suam dedit ad concludendam Pacem inter Sacram Regiam Majestatem Magnæ Britanniæ, & Sacram Majestatem Christianissimam in Conciliis eum in finem habitis in Ædibus Rysvvicensibus in Provinciâ Hollandiæ, inter Nobilissimos, Illustrissimos, & Excellentissimos Dominos Legatos Extraordinarios & Plenipotentiarios utrinque nominatos. A parte quidem Sacræ Regiæ Majestatis Magnæ Britanniæ Nobilissimum, Illustrissimum, atque Excellentissimum Dominum, Dominum Thomam Comitem Pembrochiæ, & Montgomerici, Baronem Herbert de Cardiff, privati Angliæ Sigilli Custodem, a Conciliis Regis intimis, & ex excellentissimis Justiciariis & Custodibus Regni Angliæ, Dominum Edvardum Vice Comitem Villiers de Darford. Baronem de Hoo, Angliæ Equitem Marshallum, Majestatis suæ ad Celsos ac Præpotentes Dominos, Ordines Generales Unitarum Belgii Provinciarum Ablegatum Extraordinarium, & ex Excellentissimis Justiciariis & Gubernatoribus Generalibus Regni Hiberniæ., Dominum Robertum Dominum de Lexington, Baronem de Everham, ex intimis Cubiculis Regis Generosum, Majestatisque suæ ad Serenissimum & Invictissimum Principem Romanorum Imperatorem Ablegatum Extraordinarium, & Dominum Josephum Wiliamson Equitem Auratum, ex Consiliis Regis intimis, & ab Archivis status in Consessu Ordinum Regni Angliæ, sive Parliamenti Senatorem; A parte vero Sacræ Regiæ Majestatis Christianissimæ, Nobilissimos,

Illuſtriſſimos, atque Excellentiſſimos Dominos, Dominum Nicolaum Auguſtum de Harlay Equitem, Dominum de Bonnevil, Comitem de Cely, Conſiliarium Ordinarium Regis in Conſilio ſtatus, & Dominum Ludovicum de Verjus Equitem, Comitem de Creci, Conſiliarium Ordinarium Regis in Conſilio, Marchionem de Treon, Baronem de Couvay, Dominum de Boulav, & duarum Eccleſiarum, de Fort Isle, Meuillet &c., & Dominum Franciſcum de Callieres Equitem, Dominum de Callieres, de Rochechelav, & de Gigny, qui poſt invocatum Divini Numinis auxilium, mutuasque Plenipotentiarum Tabulas communicatas, & ritè commutatas, quorum Apographa ſub finem hujus inſtrumenti verbotenus inſerta ſunt, interventû, & operâ Nobiliſſimi, Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Domini, Nicolai Liberi Baronis de Lilienroot, Secretarii Status Sereniſſimi ac Potentiſſimi Regis Sueciæ ejusdem Majeſtatis Legati Extraordinarii ad Celſos, ac Præpotentes Ordines Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum, ad Congreſſum itidem Pacis Generalis Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, qui munere Mediatorio pro concilianda tranquillitate Publicâ, procul a partium ſtudio, ſedulo, prudenter, plurimâque cum laude perfunctus eſt, ad Divini Numinis Gloriam, & Chriſtianiſſimæ Reipublicæ ſalutem, in mutuas Pacis & Amicitiæ Leges couvenerunt Tenore ſequenti.

I.

PAx ſit univerſalis, perpetua, veraque, & ſincera Amicitia inter Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem Guilielmum tertium Magnæ Britanniæ Regem, & Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem, Ludovicum decimum quartum, Regem Chriſtianiſſimum, eorumque hæredes, & ſucceſſores,

res, nec non utriusque Regna, Status & ſubditos, eaque ita ſincerè & inviolatè ſervetur & colatur, ut alter alterius utilitatem, honorem, ac commodum promoveat, omnique ex parte fida vicinitas, & ſecura pacis atque amicitiæ cultura revireſcat in dies, atque augeatur.

II.

Omnes inimicitiæ, hoſtilitates, diſcordiæ & bella, inter dictum Dominum Magnæ Britanniæ Regem & dictum Dominum Regem Chriſtianisſimum, eorumque ſubditos, ceſſent, & aboleantur, ita ut uterque ab omni direptione, deprædatione, læſione, injuriis, ac infeſtatione qualicunque, tam terra quam mari, & aquis dulcibus, ubivis gentium, ac maximè per omnes alterutrius Regnorum, Ditionum, ac Ditionum tractus, Dominia, loca, cujuscunque ſint conditionis, temperet prorſus, & abſtineat.

III.

Omnes offenſæ, injuriæ, damna quæ prædictus Dominus Rex Magnæ Britanniæ ejusque ſubditi, vel prædictus Dominus Rex Chriſtianisſimus ejusque ſubditi, durante hoc bello, alter ab altero pertulerint, oblivioni tradantur, ita ut nec eorum, nec ullius alterius rei cauſa vel prætextu, alter alteri, aut alterutrius ſubditi, poſthac quidquam hoſtilitatis, inimicitiæ, moleſtiæ vel impedimenti, per ſe vel per alios, clam vel palam, directè vel indirectè, ſpecie juris aut via facti, inferant vel inferri faciant aut patiantur.

IV.

Et quoniam Rex Chriſtianisſimus nihil unquam in votis potius habuit, quam ut fiat firma & inviolabilis Pax, promittit prædictus Rex & ſpondet pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, quod nulla omnino ratione perturbabit prædictum Dominum Regem Magnæ Britanniæ in libera poſſesſione Regnorum,

rum, Regionum Terrarum aut Dominiorum, quibus in præſenti fruitur, honorem ſuum idcircò oppignorans, ſub fide & verbo Regis, quod nec directè nec indirectè, alicui aut aliquibus ex Inimicis prædicti Domini Regis Magnæ Britanniæ auxilium dabit, aut adminiſtrabit, nec quoquo modo favebit Conſpirationibus aut Machinationibus, quas contra prædictum Regem ubivis locorum, excitare aut meditari poſſunt Rebelles & Malevoli. Eum itaque ob finem ſpondet & promittit, quod non aſſiſtet armis, Inſtrumentis belli, Annona, Navigiis aut pecunia, aut alio quocunque modo, quamvis perſonam aut quasvis perſonas, vel mari vel terra, qui poterint in poſterum, ſub ullo prætextu turbare aut inquietare prædictum Dom. Regem Magnæ Britanniæ, in libera & plena poſſeſſione Regnorum, Regionum, Terrarum aut Dominiorum ſuorum, idem quoque viciſſim ſpondet & promittit Dominus Rex Magnæ Britanniæ ſe facturum & præſtiturum, erga prædictum Dominum Regem Chriſtianisſimum, & Regna, Regiones, Terras & Dominia ejus, hoc itidem inviolabiliter pro ſe & ſucceſſoribus ſuis Regibus Magnæ Britanniæ.

V.

Liber ſit uſus Navigationis & Commercii inter ſubditos utriusque dictorum Dominorum, & Regum, prout jam olim erat tempore pacis & ante nuperrimi belli denuntiationem, ita utquisvis eorum alterutrius Regna, Provincias, Emporia, Portus & Flumina, liberè cum Mercibus ſuis adire, ibique verſari ac negociari citra moleſtiam poſſit, omnibusque libertatibus, immunitatibus & privilegiis per ſolennes Tractatus & vetuſtam conſuetudinem concesſis, ibidem uti & frui.

VI.

Redeat & aperiatur ordinaria Diſpoſitio Juſtitiæ per Regna & Dominia alterutrius Domini Regis, ita ut liberum ſit omnibus utrinque ſubditis allegare & obtinere jura, Prætenſiones & Actiones ſuas, ſecundum Leges, Conſtitutiones, & Statuta utriusque Regni.

VII.

Reſtituet Dominus Rex Chriſtianiſſimus, Domino Regi Magnæ Britanniæ omnes Regiones, Inſulas, Arces & Colonias ubivis locorum ſitas, quas poſſidebant Angli ante hujus præſentis Belli declarationem, & vice verſa Dominus Rex Magnæ Britanniæ reſtituet Domino Regi Chriſtianiſſimo, omnes Regiones, Inſulas, Arces & Colonias ubivis locorum ſitas, quas poſſidebant Galli ante dictam ejusdem Belli declarationem: atque hæc reſtitutio utrinque fiat intra ſpatium ſex Menſium, aut citius ſi fieri poſſit. Et eum ad finem ſtatim ab hujus Tractatus Ratihabitione alter dictorum Dominorum Regum alteri Domino Regi, aut Commiſſariis, ejus nomine, ad id delegatis, omnia acta ceſſionis, inſtrumenta & mandata neceſſaria, ritè & ſecundum debitam formam confecta, tradat, aut tradi jubeat, ita ut effectus ſequatur.

VIII.

Conſtituentur ab utraque parte Commiſſarii qui poſſint examinare & determinare Jura & Prætenſiones, quas affert uterque Dominorum Regum, in Loca in ſinu Hudſoni ſita, quorum quidem Locorum à Gallis captorum, durante pace præcedenti hoc præſens bellum, ab Anglis verò recuperatorum durante præſenti Bello, poſſeſſio Gallis ceditur vigore Articuli proximè ſuperioris. Capitulatio ab Anglis facta, die 5. Septembris 1696. obſervabitur ſecundum formam & tenorem ſuum, reſtituentur mercimonia ibidem memorata:

Præfectus Arcis ibidem captus libertatem obtinebit, si illud adhuc non factum sit. Lites super executione ejusdem Capitulationis ortæ & valor ibidem bonorum perditorum à dictis Commissariis adjudicabuntur, & determinabuntur. Porro dicti Commissarii immediate post Ratihabitionem præsentis Tractatus Auctoritate sufficienti munientur definiendi Limites & confinia Terrarum utrinque restitutarum vigore Articuli præcedentis, commutandi quoque Terras sicut illud possit conducere in rem & utilitatem mutuam alterutrius Domini Regis.

Et eum ob finem dicti Commissarii nominabuntur, qui in Urbe Londini, intra spatium 3 mensium proximè sequentium ad Ratihabitionem præsentis Tractatus convenient, & intra spatium sex mensium (post eorum primam Conventionem numerandorum) determinabunt omnes Lites & processus qui super hac re oriri possunt. Et deinde Articuli super quos consentient dicti Commissarii, ratihabebunt ab alterutro Domino Rege, eandemque vim & vigorem habebunt, ac si præsenti Tractatu ad verbum inserti fuerint.

IX.

Omnes Literæ, tam repressaliarum quam Marcæ, & contra Marcæ, quæ hactenus quavis de causà utrinque concessæ fuerint; nullæ, cassæ & irritæ maneant, & habeantur, nec ullæ in posterum hujusmodi Literæ ab alterutro dictorum Dominorum Regum adversus alterius subditos concedantur, nisi prius de juris denegatione manifestè constiterit, & illius qui repressaliarum literas sibi concedi petit, Libellus supplex Ministro (Regis illius nomine) contra cujus subditos illæ Litteræ postulantur ibidem degenti editus ac ostensus fuerit, ut is intra quatuor mensium spatium aut citius in contrarium inquirere possit, aut procurare, ut ex parte rei actori quamprimnm satis-

ſatisfiat, ſi vero Regis illius contra cujus ſubditos repreſſaliæ poſtulantur, nullus Miniſter ibi degat, repreſſaliarum Literæ non concedantur niſi poſt ſpatium quatuor menſium, computandorum à die quo Libellus ſupplex Regi contra cujus ſubditos repreſſaliæ petuntur, aut privato ipſius Conſilio, editus ac oblatus fuerit.

X.

Tum ad præcidendam omnem litis & contentionum materiam, quæ oriri poſſet ex causâ reſtitutionis Navium, Mercium aliarumque rerum mobilium, quas in regionibus & oris longe diſſitis, poſt ſancitam pacem & antequam ibidem innoteſcat, captas & occupatas fuiſſe alterutra pars ab altera conqueri poſſet. Omnes Naves, Merces, aliaque bona mobilia, quæ poſt ſubſcriptionem & publicationem præſentis Tractatus utrinque occupari poterunt, intra ſpatium duodecim dierum in Maribus Britannicis & Septentrionalibus, intra ſpatium ſex hebdomadum, à dictis Maribus Britannicis & Septentrionalibus usque ad ſancti Vincentii promontorium, tum intra ſpatium decem hebdomadum ultra dictum Promontorium cis lineam Æquinoctialem, vel Æquatorem tam in Oceano, in Mari Mediterraneo, quam alibi, denique intra ſpatium ſex menſium trans terminos prædictæ Lineæ per univerſum Orbem ſine ulla exceptione, vel ulteriore temporis locive diſtinctione, ullave reſtitutionis aut compenſationis ratione habenda, occupantium ſint & maneant.

XI.

Si vero accidat per incogitantiam aut imprudentiam, aut aliam quamlibet Cauſam, ut quivis ſubditus alterutrius prædictorum Dominorum Regum faciat aut committat aliquid, terra mari aut aquis dulcibus, ubivis Gentium, quo minus obſervetur præſens Tractatus, aut quo particularis aliquis Arti-

cujus ejusdem effectum suum non sortiatur, hæc Pax & bona correspondentia inter prædictos Dominos Reges, non idcircò interrumpetur, aut infringetur, sed in pristino suo robore, firmitate & vigore manebit, sed subditus iste solummodo de suo facto proprio respondebit, & pœnas persolvet, inflictas per Leges & præscripta Juris Gentium.

XII.

Sin autem (quod Omen Deus Optimus Maximus avertat) sopitæ simultates inter dictos Dominos Reges aliquando renoventur, & in apertum Bellum erumpant, Naves, Merces ac bona quævis Mobilia, alterutrius partis, quæ in Portubus, atque in Ditione partis adversæ hærere atque extare deprehendentur, fisco ne addicantur, aut ullo incommodo afficiantur, sed subditis alterutrius dictorum Dominorum Regum, semestre spatium integrum hinc inde concedatur, quo res prædictas ac aliud quidvis ex suis facultatibus, quò lubitum erit, citra ullam molestiam, inde avehant ac transferant.

XIII.

Quantum ad Principatum Arausionensem, aliasque Terras & Dominia quæ pertinent ad prædictum Dominum Regem Magnæ Britanniæ, Articulus separatus Tractatus Neomagensis, inter Regem Christianissimum & Dominos Ordines Generales Unitarum Belgii Provinciarum, decimo die Augusti 1678 conclusi, secundum formam & tenorem suum effectum plenum sortitur, atque ita omnes innovationes & immutationes resarciantur, omnia arresta, edicta & alia acta, cujuscunque sint generis, absque ulla exceptione, quæ dicto Tractatui ullo modo contraria sint, aut post conclusionem ejusdem intervenerint, pro infectis & annihilatis habebuntur, absq; omni reservatione & consequentia in futurum, atque ita omnia restituentur prædicto Domino Regi eodem statu & eodem

dem modo, quibus iis utebatur & fruebatur priusquam de posſessione eorum dimotus esset, in tempore Belli per dictum Tractatum Neomagenſem compositi, aut quibus per eundem Tractatum frui aut uti debet, & ad imponendum finem omnibus molestiis, litibus, processibus & casibus qui super hæc moveri possint, alteruter prædictorum Dominorum Regum Commissarios nominabit. Qui plena & summaria potestate illa omnia componere & expedire possint: Et in quantum, per Auctoritatem Domini Regis Christianissimi Dominus Rex Magnæ Britanniæ impeditus fuerit, quominus frueretur reditibus, juribus & commodis tam Principatus sui Arausionensis quam aliorum suorum Dominiorum, quæ post conclusum Tractatum Neomagensem, usque ad Declarationem Præsentis Belli sub Dominatione prædicti Regis Christianissimi fuerunt, prædictus Dominus Rex Christianissimus Regi Magnæ Britanniæ restituet & restitui efficiet realiter, cum effectu & cum interesse debito, omnes istos reditus, jura & commoda & secundum Declarationes & Verificationes coram dictis Commissariis faciendas.

XIV.

Tractatus Pacis inter Regem Christianissimum & defunctum Electorem Brandenburgicum, ad Fanum Sancti Germani in Laye 29 die Junii 1679 conclusus, restituetur in singulis suis Articulis, & in pristino suo vigore manebit, inter Sacram Majestatem Christianissimam, & Serenissimum Electorem Brandenburgicum.

XV.

Cum maximè conducat ad Tranquillitatem publicam ut Tractatus observetur, qui inter Sacram Majestatem Christianissimam & Celsitudinem Regalem Sabaudiæ nono die Au-

gusti 1696 anni, conclusus erat, conventum est ut confirmetur idem Tractatus per præsentem Articulum.

XVI.

Sub hoc præsenti Pacis Tractatu comprehendentur illi qui ante Ratihabitionum permutationem, vel intra sex menses postea ab una alteraque parte ex communi consensu nominabuntur; Interim tamen quemadmodum Serenissimus ac Potentissimus Princeps Guilielmus Rex Magnæ Britanniæ & Serenissimus ac Potentissimus Princeps Ludovicus Rex Christianissimus, gratè agnoscunt sincera Officia, ac indefessa studia quibus Serenissimus ac Potentissimus Princeps Carolus Sueciæ Rex, interpositâ sua Mediatione hoc salutare Pacificationis Opus, Divino adjuvante auxilio, ad exitum optatum promovit; ita ad testandum parem affectum communi partium omnium consensu, sancitum & conventum est, ut altissimè memorata Sacra Regia Majestas Sueciæ cum omnibus suis Regnis, Ditionibus, Provinciis, ac juribus huic Tractatui sit inclusa, & præsenti Pacificatione omni meliori modo comprehensa.

Denique hujus præsentis Pacti ac Fœderis solennis ac ritè confecti ratihabitiones intra trium hebdomadum spatium, à die subscriptionis computandum vel citius si fieri possit, in Domo Rysvvicensi in Provincia Hollandiæ utrinque exhibeantur, & reciprocè ritèque commutentur.

In quorum omnium & singulorum supra memoratorum fidem, majusque robur; & ad iis donandum debitum vigorem atque plenam authoritatem, infra scripti Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii, unà cum Illustrissimo & Excellen-

Excellentisſimo Domino Legato Extraordinario Mediatore, præſens Inſtrumentum Pacis ſubſcriptionibus, ſigillisque propriis muniverunt. Acta hæc ſunt in Ædibus Ryſvvicenſibus in Provinciâ Hollandiæ die 20 Menſis Septembris Anni 1697.

(L.S.) *N. Lilienroot.*	*Pembroke.*	*De Harlay Bonneuil.*
	(L. S.)	(L. S.)
	Villiers.	*Verjus de Crecy.*
	(L.S.)	(L.S.)
	G. Williamſon.	*N. Callieres.*
	(L.S.)	(L.S.)

ARTICULUS SEPARATUS.

PRæter ea omnia quæ concluſa & concordata ſunt per Tractatum Pacis, factum hoc præſenti die 20 Septembris anni 1697 conventum inſuper eſt per præſentem articulum ſeparatum, qui eundem vigorem & effectum habebit, ac ſi verbotenus in eodem Tractatu inſertus fuerit, quod Rex Chriſtianiſſimus paciſcitur, & ſpondet quod liberum ſit Imperatori & Imperio usque ad primam diem Menſis Novembris proxime ſequentis, conditiones pacis à Rege Chriſtianiſſimo nuperrimè propoſitas accipere, ſecundum declarationem prima die hujus præſentis menſis factam, niſi aliter conventum fuerit intra Cæſaream Majeſtatem & Imperium inter, & Majeſtatem Chriſtianiſſimam: & ſi intra præfixum tempus Majeſtas Cæſarea non accipiat eas conditiones, nec alia ratione Cæſaream Maje-

ſtatem

ſtatem & Imperium inter & Majeſtatem Chriſtianiſſimam conventum fuerit, prædictus Tractatus effectum ſuum plenum ſortietur & executionem debitam habebit ſecundum formam & tenorem ſuum, nec licitum erit Regi Magnæ Britanniæ vel directè vel indirectè ſub qualicunque ratione aut cauſa eidem Tractatui contravenire.

In quorum omnium fidem nos infra ſcripti Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii Sacræ Regiæ Majeſtatis Magnæ Britanniæ & Sacræ Majeſtatis Chriſtianiſſimæ vigore Plenipotentiarum noſtrarum præſentem Articulum ſeparatum tum ſubſcriptionibus & Sigillis propriis muniri curavimus. Actum in Ædibus Ryſwicenſibus in Provincia Holandiæ 20 Menſis Septembris Anni 1697.

(L. S.) N. Lilienroot.

(L. S.) Pembroke. *(L. S.) De Harlay Bonneuil.*

(L. S.) Villiers. *(L. S.) Verjus de Crecy.*

(L. S.) J. Williamſon. *(L. S.) N. Callieres.*

RATIHABITIO
Data à Rege Angliæ.

NOs viſo & perpenſo præfato Tractatu, eundem in omnibus & ſingulis ejus Articulis & clauſulis approbavimus, & ratum firmumque habuimus, ſicut per Præſentes, pro Nobis, Hæredibus & ſucceſſoribus Noſtris, eundem approbamus, & ratum firmumque habemus, ſpondentes verboque Re-

gio

gio promittentes Nos omnia, quæ in eo continentur, sincerè & bona fide præstituros & observaturos. In quorum majorem fidem & robur hisce præsentibus Magnum Nostrum Angliæ sigillum apponi fecimus; Dabantur in Aula Nostra apud Loo in Provincia Geldriæ die vicesimo quinto Mensis Septembris Anni Domini Millesimi Sexcentesimi Nonagesimi Septimi, Regnique Nostri Noni.

GUILIELMUS R.

G. Blackvvayt.

PROCURATIO
Dominorum Legatorum & Plenipotentiariorum Regis Magnæ Britanniæ.

GUilielmus Tertius, Dei Gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor, &c. Omnibus ad quos præsentes Litteræ pervenerint aut ullo modo spectaverint, Salutem. Cum in præsens rerum status, eaque animorum inclinatio videatur, ut Bellum quo Magna Orbis Christiani pars jam diu graviterque affligitur, favente Divinâ providentiâ, Officioque Mediatoris Bono Fratre Nostro Serenissimo ac Potentissimo Rege Sueciæ fungente, feliciter restingui posse, spes haud mediocris affulgeat: Nos qui pacis

studiosi semper fuimus, semperque erimus, nihil magis in votis habentes quam ut Concordia Æqua, sincera & diuturna inter Principes Christianos quantocius fiat, & plurimum excolatur; tranquillitatis Publicæ recuperandæ occasionem oblatam haud gravatè amplectimur, cumque de Pacis Generalis Tractatu inter Nos & Fœderatos Nostros ab una, & Regem Christianissimum ab altera parte instituenda, à Nostris & Fœderatorum Nostrorum & Regis prædicti Ministris in Hollandia consensum sit; cumque ad tam pium & præclarum opus perficiendum Virorum prudentia & in rebus arduis experientia præditorum tantoque negotio parium operâ uti necesse sit, sciatis quod Nos Fide, industriâ, Judicio, Prudentiaque perdilectorum & perquam fidelium Consanguineorum Nostrorum, Thomæ Comitis Pembrochiæ & Montisgommerici, Baronis Herbert de Cardiffe, &c. Privati sigilli Nostri Angliæ Custodis, & à Consiliis nostris intimis, Edvvardi Vice-Comitis de Villiers, nostri Nunc ad Celsos ac præpotentes Dominos Ordines Generales Uniti Belgii Ablegati Extraordinarii & ad Congressum Ministrorum à Confœderatis Nostris Missorum, qui Hagæ Comitum habetur, Plenipotentiarii, Perdilecti & perquam fidelis Consiliarii Nostri Roberti Domini Lexinton, Baronis de Averam ex intimis Cubiculis Nostris Generosi Nostri ad Serenissimum & Invictissimum Principem Romanorum Imperatorem Ablegati nunc Extraordinarii, atque dilecti Nobisque Fidelis Josephi Williamson Equitis Aurati, Nobis à Consiliis intimis, & ab Archivis Status, in Consessu Ordinum Regni Nostri Angliæ sive Parlamenti Senatoris, plurimum confisi expertique qua pollent in rebus transigendis scientiâ Usuque singulari, ex negotiis Muneribusque Variis, qua Domi Forisque jam dudum

dudum digni gesserunt, ipsos Thomam Comitem Pembrochiæ & Montis Gomerici, Edvvardum Vice Comitis de Villiers, Robertum Baronem de Averam & Josephum Williamson Nominavimus, Fecimus, Constituimus, & Deputavimus, & per præsentes nominamus, facimus, constituimus & deputamus, Nostros Veros, certos & indubitatos Legatos Extraordinarios Ambassiatores Commissarios Deputatos, Procuratores & Plenipotentiarios, dantes Eisdem & concedentes, & Eorum Duobus quibusvis ægrotantibus vel utrinque alias absentibus, Duobus alteris omnem & omni modum potestatem, facultatem authoritatemque, nec non mandatum generale pariter ac speciale (ita tamen ut generale speciali non deroget neque contra:)

Vel alium quemcunque locum ubi dictum Pacis Tractatum & Negotiationem institui ac celebrari contigerit, adeundi, ibique pro Nobis, ac nomine Nostro, una cum Commissariis ac Plenipotentiariis Confœderatorum Nostrorum & cum iis quos Rex Christianissimus: ex altera parte deputaverit, congrediendi, & colloquendi cum iis pariter quos alii quicunque Reges, Principes, Respublicæ aut liberæ Civitates sufficienti authoritate instructos, ad dictum Pacis Tractatum miserint, ad lites controversiasque ex occasione hujusce belli ortas, componendas, & plene determinandas, cum iis de Pace firmâ ac stabili tractandi, conveniendi, & concludendi, idque omne quod ab iis ita conclusum conventumque fuerit, pro Nobis & Nomine nostro, signandi, superque conclusis Instrumenta quotquot & qualia fuerint, necessaria, conficiendi, mutuoque tradendi recipiendique, dantes ulterius & concedentes Legatis nostris supradictis potestatem authoritatemque literas Commeatus aliasque qualescunque quæ ad securitatem Personarum, Comitum, servorum,

vorum, atque Impedimentorum eorum omnium qui dicto Tractatui transigendo, conficiendoque Operam impendant, vel ei quovis modo inserviunt, requiri posse, de tempore in tempus videantur, signandi, concedendi & exhibendi, ac generaliter ea omnia tractandi, promittendi, stipulandi conveniendi & faciendi, quæ in & super præmissis, aut eorum quolibet quovismodo necessaria, vel quomodolibet opportune judicaverint, in tam amplis modo & formâ ac vi effectuque pari, ac nos ipsi facere possemus, si dicto Tractatui personaliter interessemus, spondentes ac in verbo Regio promittentes. Nos omnia & singula quæcunque à dictis Nostris Legatis & Plenipotentiariis & Eorum duobus quibusvis ægrotantibus, vel utcunque alias absentibus, ut antedictum est, duobus alteris, ut præsentium transigi & concludi contigerit, grata rata & accepta, iis prorsus modo & forma, quibus conventum erit habituros, in quorum omnium fidem majusque robur præsentes manu Nostrâ Regiâ signatas Magno Angliæ sigillo communiri fecimus. Dabantur in Aula Nostra apud Kensington, die decimo sexto Februarii, Anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo, Regnique Nostri Nono.

Guilielmus R.

(L.S.)
Magni Angliæ.



